



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

13. De Gaiano Mimo, qui ob suas in B. Mariam blasphemias semel atque iterum monitus est, ac tandem grauitus punitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

Dei iudicium omnibus promulgauit.

Ioan. Moscus Euiratus in Prato Spirituali cap. 47. & D. Pet. Canisius li. 5. c. 20. operis Mariani De Gaiano Mimo, qui ob suas in B. Mariã blasphemias semel atq; iterũ monitus est, ac tandem grauiter punitus.

CAP. XIII.

CVM hoc miraculo planè cõgruit, quod Moscus Euiratus in suo Prato, Heliopoli, quæ Phœnicis est ciuitas, refert accidisse. In hac, inq; t, Mimus qdã erat Gaianus nomine, qui in theatro sanctam Dei genitricem blasphemans, populo spectaculum blasphemix præbebat. Apparuit autem illi sancta Dei genitrix, corripiens eum ac dicens: Noli queso, noli ita lædere animam tuam. Ille verò rursus deterius illam blasphemabat. Vnde ipsa tertio eidem apparès, eadem repetebat. Cùm autem se ille non corrigeret, sed plus quoque blasphemijs adijceret, meridie dormienti sibi apparuit, nihilquæ dicens digito solo signauit eius manus & pedes. Euigilans autem inuenit se truncatum manibus & pedibus. Atque ita infœlix vt truncus inutilis iacens, confitebatur omnibus, cuius rei gratia, & quomodo hoc passus esset, vtque propter blasphemias clementer cruciatus fuisset. His affine est, quod Vincentius Beluacensis adfert: quendam apud Lassentiam urbem cùm in tabernaculo luderet tessera, ludumquæ sibi inauspicato videret cedere, benediçto ventri gloriosæ virginis

Par. 2. Spec. hist. libr. 8. cap. 104.

G 5 ginis

ginis Matris maledixisse, & mox illum eodem loco subita & horrenda morte luisse poenas, à quibus ad æternum supplicium haud dubiè raperetur. Nunc Euagrium quoque, & suffragantem ei Nicephorum audiamus.

Petrus Canisius lib. 5. cap. 20. operis de B. virgine Maria citans Euagrium & Nicephorum. De Praefecto Tyberij Caesaris & B. Maria correpto, quòd blasphemus fueret, & de poena Anatolij in Christum & Mariam blasphemam.

C A P. X I I I I.

Tiberius Cæsar, qui proximè ante Martium regnavit, Imperialis Palatij Praefectum habuit, virum in cæteris excellentem, sed Anatolio in Christum & Matrem eius contumelioso male fauentem, vt causam eius defendere videretur. Fessus autem est Praefectus, vir minimè vanus, sibi Deipara apparuisse, & secum grauitè exostulasse, haec ferè verbis: Quousque tandem Anatolium propugnas, qui tam impudenter supra modum me & filium meum illudit? Hic enim Anatolius, vt paulò fusius historiam explicemus, quum Antiochiæ versaretur, nefandorum sacrificijs deditus, & maximis quibusque flagitijs coopertus, neque minus in diuina mysteria blasphemus fuit, quem idcirco Cæsar in vincula conijci, & ad se Constantinopolim adduci iusserat. Fortè tunc accidit, vt imago sacrae virginis ex funiculo penderet